



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput XVII. Recreatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

3. Ut illa cum gratiarum actione, quantum satis erit necessitati, & non ultra illam, sumamus, dicentes cum illo Seniore: *Non vivo ut edam, sed edo ut vivam*: permodici temporis experientia nos docebit, quid cuique sit necessarium. 4. Ut devotè & cum animi applicatione, non verò ex solo usu gratias Deo agamus.

*Interioris occupationis præter
lectionem Materia.*

Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. Luc. 14.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris 15.

mei, qui in cœlis est. Ioan. 4. 34.

Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Psal. 79. 6.

Quod si alimenta gustui arrideant, ibi fisti non debet, quin potius dici poterit: *Non est regnum Dei escæ & potus, sed iustitia, & pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Rom. 14. 17.

Si verò e contrariò illa desipiant, cogitandum erit de felle porrecto Domino nostro, dicendo intra se: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Psal. 68. 22.

CAPUT XVII.

Recreatio.

Hora recreationis non modò ordinata fuit, ut animus non nihil relaxaretur, ut inde æquali cum fervore continuetur ordinis ac Religionis custodia: verùm etiam ut hac ratione mutuæ conversationis suavitate serve-

tur unio & charitas fraterna, atque ut fratres invicem Religioso colloquio bono sint exemplo atque ad amorem Dei inflamment.

Directio. Domine Deus, quoniam voluntas tua fert, ut modò non nihil me recreem, ut ea ratione ad tibi serviendum comparatior evadam, oro te, ut istam mihi gratiam concedas, ut ea ad me ipsum attentione, eaque hinc modestiâ me geram, ut fratribus meis bono sim exemplo, hincque recedens idem, quod modò, tibi placendi desiderium sentiam. Virgo ter Sancta, quæ in Templo cum aliis sacratis Deo virginibus conversata fuisti, tua mihi protectione hic adsis, meque illius admirandæ humilitatis & modestiæ à te illic exhibitæ imitatorum rem constitue.

Fundus illius interioris dispositionis facili negotio sequentibus poterit conservari ac sustentari sententiis.

Judith. 16. Erat populus jucundus secundum faciem
24. Sanctorum.

Psal. 132. Ecce quam bonum, & quam jucundum ha-
1.3. bitare fratres in unum. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in seculum.

Ubi est caritas & dilectio, ibi Sanctorum est congregatio. Offic. cœnæ Dom.

Joan. 13. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli,
35. si dilectionem habueritis ad invicem,